... Anna Alojsia

Kanonit Soc. Jesu Flores sepulchrales inser... ptionum in ducali tumulo.

# FLORES SEPULCHRALES JNSCRIPTIONUM.

Quos

Immortalium beneficiorum conſcia Societas IESV,

Jn Ducali Tumulo

*JLLUSTRISSIMÆ DOMINÆ,*

## D. ANNÆ ALOYSIÆ, CHODKIEVICIÆ,

PALATINÆ VILNENSIS,

Duciſſæ in Oſtrog.

Fundatricis & Parentis ſuæ munificentiſſimæ, Religioſis manibus ſparſit.



*CRACOVIÆ,*

*Jn Officina Viduæ & Hæredum Franciſci Cæſarij, S. R. M. Typog.*

*Anno Domini, 1654.*

Solenne erat
Matronarum Illustrium TVMVLOS
FLORIBVS spargere.

*Rosin. lib. 9. Antiq. Rom.*



---

In Antiquorum memoriis obserues, FLORES adhiberi in SEPVLCHRORVM ornamentum. Vetustum esse morem, multa huius generis dona MANIBVS mitti solita indicant. Imò quosdam TESTAMENTO etiam cauisse legas, vt iis FLORIBVS quotannis PARENTARETVR.

*Valer. lib. 55.*

D. O. M.

Deo, qui aufert *Spiritum Principum*,
Qui mutat Tempora, & Ætates,
Qui transfert Regna atque constituit; Dan. cap. 2. v. 21.
A quo omnis Principatus & Imperium:

Posthumam
Illustrissimorum Principum,
Ducum in Ostrog,
MITRAM;
Post tot Annorum, immo Ætatum, mutuò datum vsum,
Ex Ducali Capite
Ad Triumphales pedes,
ANNA ALOYSIA CHODKIEVICIA,
Principum ac Ducum in Ostrog Hæres,
Supplex deponit.

Nos verò interim,
Quibus immortalium beneficiorum conscientia,
Diem ad hunc tumulum dicit,
Vobis Illustrissimi Manes:
Tibi inquam
ANNA ALOYSIA
CHODKIEVICIA,
Dux in Ostrog,
Palatina Vilnensis,
Eo quo decet pupillos luctu,
In pagina hac parentamus.

*Manibus date Lilia plenis,*
*Purpureos spargam flores,*
*Purpureos* inquam:

Non

Quod nec immortalibus in nos beneficijs tuis,

Pares Gratias;

Nec luctuoso Funeri Tuo,

Pares lacrymas, adferamus;

Natiuâ hîc Religiosi pudoris purpurâ, carere non possumus.

Sed tibi nimirum istud, beneficijsque tuis imputandum.

Ingens eorum magnitudo,

Tenuitatem nostram omninò obruit.

Adeòque par nomini Tuo, maior meritis nostris Beneficentia,

Propè nos cogit esse ingratos.

FLORES ergò Tibi damus, qui Fructum non possumus,

Oppressis Schismaticâ immanitate,

( Dum eleganter euoluuntur ) Fructibus,

Soli nobis FLORES supersunt.

Succisis parricidali ferro,

Amœnioribus munificentiæ tuæ viridarijs,

Cùm auara manus, nec floribus pepercit, nec frugibus,

Et ipsamet Florum seminaria, in fatales redegit cineres,

Quid aliud à nobis expectares, præter

Hinc illic manu subitariâ collectos

FLORES;

Eosque SEPVLCHRALES,

Vt potè, ex fatali fumantis Patriæ cinere natos.

Hos ergo in Tuo spargimus Tumulo:

Et Illustrissimos Manes Tuos,

Ex vetusta Maiorum formula

Tuis verius, quàm nostris FLORIBVS coronamus.

Si ingenium Tuum benè nouimus,

Nequaquam illos à Tumulo Tuo excludes,

Quæ beneficiorum Tuorum Fructus

Cœlo transcripsisti:

FLORES,

In terris reliquisti.

INSCRI-

# JNSCRIPTIO I.
## Jndictio Funeris.

Hucagite Parentales lacrymas,
Quotquot Patriam & Virtutes amatis.
Optimæ Parentis ruinam,
In Filiæ Fato deplorate.
Inter reliquas Poloniæ clades,
Hunc etiam Tumulum numerare licet.
Eius quoque, magna pars præsenti funere effertur.
ANNA ALOYSIA CHODKIEVICIA,
Dux in Ostrog,
Palatina Vilnensis,
Magnum Nomen, Clades maxima,
Dum pares magno luctui lacrymas à nobis desperat,
Ab omnium oculis exigit vectigales.
Huc igitur atratæ
Amicorum, Clientum, ac Subditorum turmæ.
Pullatis, Illustrissimorum Hospitum, cœtibus insertæ,
Augustam Cognati Sanguinis Coronam,
Mistis inter singultus lacrymis irrumpite.
Nec est cur vos tantorum Nominum Maiestas terreat.
Difficile est magnos dolores ordinare,
Calcate securi iacentem.
Quæ se toties ad pauperum pedes abiecit;
Credi potest nunc etiam,
Huc se, vt ab omnibus calcaretur, abiecisse.
Quà quisque proximè potest, Tumulum hunc constipate.
In quo, omnium nostrum grande Depositum, quiescit.
Date lacrymas mortuæ,
Qui tot viuæ debuistis solatia.
Iusta soluite, quæ debetis.
Æquum non est, vt careat prouidentiæ fructu,
Princeps nostra.
Quæ nullius lacrymas voluit, viua,
Quò plurium haberet mortua.
Bene ergo habet.

Hoc primum tibi lacrymarum Tributum pendimus,
Magna Princeps.
Nullum planè maiori titulo debuimus.
Quæ nos toties coëgisti ad gaudia:
Nunc primum ad ingentes cogis dolores.
De omni hominum genere optimè merita;
In hoc solùm in omnes peccasti, quod mortua es.
Seruamus te Gloriæ, quam non possumus Naturæ:
Tempori ereptam; transmittimus Æternitati.
Et quia nobis Tumulus rapit mortuam,
Omnium nostrum pectora exhibebunt viuam,
Ita in lacrymis nostris tumulata;
In omnium votis & animis viua;
Viues funeri tuo, imò & nostris, superstes.
Mors enim omnibus ex natura communis, Tacitus.
Apud Posteros
Obliuione, vel memoriâ distinguitur.
Nemo debet credi omni ex parte sepultus,
Qui in Posterorum grata memoria,
Viuit Superstes.
Animus totus cùm fuerit,
Vix vlla sui parte Fato subiacet.
Nam tempus quod Principum vitæ fata subtrahunt;
Adijciunt ad gloriam.
Tu verò, quisquis luctibus nostris ades;
Caue, ne Principem nostram,
Totam in saxo hoc tumulari arbitreris.
Heroidas nusquam minùs quàm in saxis reperias.
Illis nulla mundi pars vacat.
Quâdam Diuinæ immensitatis æmulatione,
Cœlum replent Animâ;
Terram Famâ.

# JNSCRIPTIO II.
## Generis Paterni ſplendor.

Heu!
Quot vnus hic Tumulus Familias capit!
Quanti ſub hoc Cinere ſplendores latitant!
Nimirum, Mortis ingenium hoc eſt:
Ampla quæq; , in odioſam Epitomen redigentis.
Illuſtriſſima Domina
D. ANNA ALOYSIA
CHODKIEWICIA
Dux in Oſtrog,
Palatina Vilnenſis.
Quidquid Auguſta, Ducum Ruſſiæ Domus,
Per tot retrò ætates, Patrij ſplendoris, collegerat,
Sub hunc Tumulum intulit.
Non ſibi hîc nimium placeat Romana Iunia. Alex. ab Alex. lib 3. c. 7.
Eius olim funus,
Viginti Clariſſimarum Familiarum Statuæ ſecutæ ſunt:
Noſtram Principem,
Tot Cæſarum, tot Regum, & Principum Affinitates,
Ad hunc Tumulum, longâ ſerie deducunt.
Nequaquam à Funeris huius pompa abeſſe poſſunt:
Qui à viuentis animo nunquam abſuerunt.
In ea, quondam vitæ meliori redditi;
Iterum in eâ hodie tumulantur.
Huius ergo tantæ Heroinæ,
Si Honorum titulos inquiris? Apices accipe.
Regum Neptis,
Ducum, Heroum, Principum,
Filia, Soror, Amita;
Orientis, & Occidentis, Imperatorum
Affinis:
Tot Serenitates fatali tumulans cinere;
Ducum Tiaras, Regum Coronas,
Auguſta Imperatorum Diademata,
In gentilitia Domus ſuæ Mitra,

Huic Tumulo transcripsit.
Imperatoria Diademata desideras?
Ad Augustam Praxedem Aldeidam,
Georgij Ducis Rosiæ Filiam,
Henrici Tertij Imperatoris Coniugem:
Ad Annam Romani filiam,
Basilij & Constantini Fratrum,
Orientis Imperatorum Sororem,
Wołodymiri Rossiæ Ducis Coniugem,
Vtramque Illustrissimæ Palatinæ nostræ Auias,
Mentem animumque porrige;
Et vniuersa Orientis ac Occidentis decora,
In vnica Heroina,
Imò in exili vrna hac, agnosce.
REGVM Coronas requiris?
Harum etiam, non paruum numerum in puluere hoc reperies,
Toties in Maioribus suis coronata,
In Demetrio Wszewolodo primo Rossorum Rege;
In Daniele Romani Filio bis coronato;
Tot demum Coronis fulsit,
Quot è Rosiæ Ducibus Reges, ac Reginas Polonia numerauit.
Patrijs Diadematibus, accessêre externa,
Bohemica, Vngarica, Gallica, Noruegica,
Illud planè iam ab hinc Fatis agentibus;
Vt omnium virtutum capax animus,
Toties in Maioribus suis coronaretur.
Ast eheu!
Tantæ serenitates in tantillum cinerem abierunt?
Ea nimirum Principum fortuna est,
Oriri vt occidant:
Fulsisse; vt in fatales tenebras abeant.
Nulla est serenitas, cui sua Nox non immineat.
Nulla mortalium Gloria;
Cui suam fata non præscripserint metam.
Vt alia desint, quæ dictis fidem faciant,
Habes ante oculos: imò tuis calcas pedibus,
Irrefragabile asserti nostri argumentum;
Tot Heroum splendores, in hanc fauillam abiêre.
Tot, & tanta Titulorum momenta,
In tantillum desiêre NIHIL.

Albert. Staden. Bertold. apud Baron. Sæcul. XI Zonaras. Herbestein. in Mosch. ex Annal. Russic. Miechouita lib. 2. c. 3. Broniewski in Tauric.

Miechouita lib. 2. cap. 20. Dlugos. Stryikowski. Sarnicius.

Baron. Dubrauius. Massonius. Papyrius. Annal. Franc. lib. 3.

INSCRI-

# JNSCRIPTIO III.
## Genereris Materni splendor.

HOSPES,
Qui Paterni Generis claritudinem,
In cinere hoc sepultam aggemuisti;
Age, Materno etiam Sanguini,
Parentales lacrymas affunde.
Vtriusque Gentis, ex ipsis Illustritatibus, accensus rogus hic est.
Omnium lachrymas sitit, vtriusque bibax cinis.
Eâ Matre genitâ, Princeps nostra,
Quam KOSTKARVM & ODROWAZIORVM
Augusta Domus protulit;
Vltra vulgares metas genus suum attollit.
Nimirum,
Magnorum MAZOVIÆ DVCVM,
A PIASTO POLONORVM REGE: deductum trahens sanguinem,
Tot cognatorum Regum Coronas numerat;
Quot à PIASTO ad MAGNVM vsque CASIMIRVM Reges,
In Polonia, & Regnis alijs, imperarunt. De quo Paproc. in Nid.
Et, planè non indignam PIASTO NEPTEM
Principem nostram,
Vt desint alia; suauissimi mores, probauerunt.
Digna fuit, mellea Princeps, eius inter Filias censeri,
Qui Apum prius Magister, quàm Polonorum Rex, Piastus à mellificio, ad Regnum vocatus. Cromer. lib. 2
Non magis alienis fauoribus, quàm fauis suis,
Nec Fortunæ magis, quàm Cereri
Regnum debuit.
Sed vltra mortales metas nobis hîc nitendum est.
Parum est Piasti Neptem fuisse;
Parum est illum habuisse Auum,
Qui in publico Regni totius Comitio, Ioannem Kostka, Palat Sandom. de quo Maximil. Fredro in Henric.
Dignus Regno iudicatus;
Regnare fortassis poterat,
Nisi antiquius esset Regno dignum iudicari,
Quàm regnasse.
Nempe, meriti nomen supra quæuis præmia assurgit.
Augustior est gloria dignitatis, quàm Titulus.

Adeoque maius est Imperio non indignum censeri:
Quàm in Regali solio consedisse.
At ne sic quidem non regnauit,
Illustrissimus IOANNES à Stemberg KOSTKA,
Palatinus Sandomiriensis,
Maternus Principis nostræ Auus.
Qui Polono Diademati dignum Regno caput subtraxit:
Tot virtutum Coronis redimitus est,
Satius iudicans, Patriæ commodis prodesse, quàm præesse:
Vltro oblatæ sibi Serenitatis titulo renuntiauit,
Maiori animo, quàm alter admisisset.
Hoc nimirum erat,
Suarum ac alienarum cupiditatum Regnum tenuisse.
Et summam rerum, deferentibus sibi aliorum suffragijs,
Silentium imperasse.
Taceo alios KOSTKANÆ, & ODROWAZIANÆ domus Titulos.
Vtriusque Familiæ maiestas, vltra cœlos protenditur.
Citra cauillum Stoici,
Licet hîc nobis ad Superum Genethlia appellare:
Licet citra Fabularum commenta,
Vtriusque Gentis veram Apotheosin celebrare.
Vtraque Domus, mortales prætergressa terminos;
Ipsa Beatæ Immortalitatis Capitolia obtinet.
Primâ, in S. HYACINTHO ODROWAZIO, cœlis illata;
Altera, in B. STANISLAO KOSTKA, dedicata;
Supra omne id quod mortale est assurrexit.
Siue Florem, siue Gemmam, Hyacinthum appelles;
Non magis ille Poloni, quàm Diuini Diadematis, splendorem auxit,
Vtrinque, in Ducalem Principis nostræ Mitram, redundantem.
Inter reliquas Tiaræ illius gemmas;
Hic imprimis Hyacinthus numeretur,
Qui eius pretium maximè auxit, & fulgorem illustrauit.
Te verò Beatissime STANISLAE KOSTKA,
Cùm ludens in Orbe terrarum Sapientia,
In diuinas manus accepisset:
Tum demum felicissimè,
Illustri KOSTKARVM Sanguini,
Adeoque vniuersæ Poloniæ fausta iacta est,
*A L E A.*
Nec erat difficile agnoscere
Principem nostram Auunculos habuisse superos;
Quæ tanto in eos animi impetu ferebatur.

Est,

Est, nimirum quædam cognati sanguinis sympatia.
Nec dubium est, quod in eos teneriori affectu feramur;
Quos nobis arctiori vinculo, Natura coniunxit.
Agite ergò, Beatissimi cœli Incolæ,
Illustrissimam Neptem vestram,
In cognatæ Beatitudinis partem admittite.
Par est, vt in qua vestras cum sanguine virtutes agnoscitis:
Eandem vestræ propinquam gloriæ,
Hæredem adsciscatis.

---

# JNSCRIPTIO IV.
## Virtutum splendor.

Ne vereâre, tot Titulorum Præiudicium, Hospes.
Adeò illustri Paternorum, Maternorumq; Natalium splendori;
Maior etiam Propriarum virtutum splendor accessit.
Aliàs, nemo in virtutem nostram vixit. Seneca.
Parum prodest illustris ortus, quem mores infamant.
Cænosum laticem, non commendat perspicui fontis claritudo.
Si benè calculum ponimus,
Nobilior est nobilitas virtutis, quàm sanguinis.
Laudabilius multo est,
Moribus gloriari quàm Maioribus.
Meliores Principes parturit virtus, quàm Natura.
Ita Illustrissima Princeps nostra,
Non magis Naturâ, Princeps quàm virtute
In tanta Maiorum suorum luce, nata;
Gentilitia lumina, quæ in cunis inuenerat,
Virtutum luce geminauit.
Tot Regum, & Principum gloriâ nobilis;
Nobilior suâ:
Ita quæsiuit ex moribus claritatem;
Acsi nullam ex Maioribus habuisset.
Dicere de ea poteras:
Natalitium splendorem si non inuenisset, ipsa fecisset.
Ex amplissimis tot Ducum Patrimonijs,
Nil magis ad se pertinere rata, quàm virtutes:
Earum inprimis possessionem inuasit.
Optima enim Hæreditas à Maioribus, posteris relinquitur, Cicero.
Præclarè factorum Gloria.

Quidquid

Quidquid in Gentilitijs eorum fastis, illustre ac magnificum;
Quidquid Sanctum, ac Religiosum;
Viuacibus exprimens exemplis:
Quidquid minus gloriosum, ac laudabile;
Illustribus corrigens argumentis:
Natiuum Domus suæ splendorem,
Ad summum Æternitatis apicem euexit,
Vt pulcherrimus Sol videtur cùm occidit:
Ita & Magna tot Ducum & Principum Domus,
Cùm in Principe nostra occideret,
Visa est Illustrissima.
Nimirum,
Quâ nobilitate genitâ, eâdem viuens;
Quâ pietate educatâ, eâdem moriens;
Iniuria in tot Maiorum Titulos sibi fore videbatur,
Nisi eorum magnitudinem, suis virtutibus ampliasset.
Hæc demùm vera Principum gloria,
Non solùm à Maioribus non degenerasse:
Sed eorum etiam præclarè facta, cumulasse.
Compendio dixero omnia.
Illustrissima ANNA ALOYSIA CHODKIEVICIA,
Nobilitatem quam nascendo obtinuerat,
Viuendo, fecit amplissimam;
Immortalem, reddidit moriendo.
Fratrum ac Sororum,
Imò omnium Gentis suæ postrema:
Eorum omnium virtutes,
Quidam veluti Epilogus,
In se collegit.
Arceantur ergo ab hoc funere Præficæ.
Ipsas hîc *Virtutes*
Præficarum lamentabili munere fungi decet.
Omnes regnârunt in viua;
Omnes lamententur in mortua.
Luctum hâc lege indicit Iustitia,
Vt nullus iam in eo timeatur excessus.
Priuatus enim sæpè cum vitio:
Princeps, semper cum virtute lugetur.

INSCRI-

# JNSCRIPTIO V.
## Orthodoxa Religio.

Te imprimis Atratam ad funus huc adduco
**Religio.**
Dubium est Patronam amiseris, an alumnam?
Illustrissima ANNA ALOYSIA CHODKIEVICIA,
**Ita te coluit, vt Filia Matrem;**
Ita vbique fouit, vt Mater Filiam.
Incrementa tua, suismet præferens augmentis:
Felicitatem tuam suis redimens Fortunis:
**Tum se reputauit felicissimam,**
Cùm te videret fortunatam.
Eam hæreditariæ sortis portionem nacta;
Quæ Deo & Ecclesiæ rebelles Ciues censuit:
In illud imprimis incubuit,
**Vt ditiones suas Deo restitueret:**
Imò, ipsum ditionibus suis Deum.
**Nimirum prima hæc Principis gloria,**
Aut pro Deo agere, aut de Deo.
Errat, quisquis Dei & Principis Imperium distinguit.
Eadem momenta sunt Regionum, & Religionum.
Et vix vlla potest esse florens Regio;
In qua Orthodoxa non floreat Religio.
Ex tot Regnorum quà ruinis, quà incrementis didicimus:
Tum demum firma esse Humana Imperia,
Cum diuinis Imperijs vnita sunt.
Ne igitur, tot inter turbulenti Schismatis procellas,
Fortunarum suarum magna Nauis, fluctuaret;
Sacram Fidei anchoram, vbique Religiosa iecit.
Felix, si in quorum fortunas imperium habuerat,
Eorum animis imperare potuisset.
Et quia difficilis erat tot inter scopulos nauigatio:
Ne in odiosas cautes incideret,
Cautissimè vtrumque declinauit extremum.
**Ita Schismati irata,**
Vt tamen eius Sectatores amaret tenerrimè:
Non potuit in magno eos non habuisse pretio,

Quorum animas, omnino lucrari Deo studuisset.
Ergo salutis alienæ non immemor,
Vbi videri potuerat tantummodò memor suæ:
Tot Apostolicis excursionibus fundatis,
Videbatur planè, cæcæ Fidei facem accendisse:
Aut ipsamet, eam ad subditorum suorum mapalia,
Suâ manu duxisse.
Nullis parcens sumptibus,
Vt omnem ditionem suam cœlo faceret vectigalem:
Iosuano planè prodigio,
Nouum ab Occidente Solem,
In Orientem reducere satagebat.
Citra impij Caligulæ enorme votum,
Illa quoque, vnicam tot subditis suis vouebat ceruicem:
Vt eam facilius, Orthodoxæ Fidei iugo submitteret.
Sed nimirum, seruiles ceruices,
Suaue Christi iugum subire recusarunt.
Multorum capitum Schismatica Bellua,
Collum citiùs frangat, quàm flectat.
Habuisti nouam planè Dąmbrowkam Polonia,
Si in eius tempora incidisset.
Meritò hæc quoque, vt olim illa, Cromerus.
Triumphali serro coronata incessisset;
Quæ in tot amplissimæ ditionis partibus,
Per sustentatos suis sumptibus animarum victores,
Omnem impietatem triumphasset.
Quippe Dei & Ecclesiæ hostibus,
Longè infensior quàm suis;
Nullum propè sibi inimicum fuisse credidit,
Nisi prius Deo hostis extitisset.
Honori Diuino, ita subijciens suum:
Vt tum demum contemni se, cùm ille temneretur;
Tum vel maximè se honorari existimaret;
Cùm ille ab omnibus coleretur.
Atque hinc discite quot quot estis Principes:
Verâ ac Orthodoxâ religione,
Nullum magis firmum esse Familiarum columen,
Hæc sola magnas Principum Domos, stabilit vel euerit,
Stabilit, procurata:
Euertit, contempta.

# JNSCRIPTIO VI.
## Fortitudo Heroica.

Quæsieris olim Mulierem fortem, Prouerb. 31.
Regum sapientissime.
Non est cur amplius pretium eius, ab vltimis finibus inquiras:
In hoc eam inuenies cinere.
ANNA ALOYSIA CHODKIEVICIA,
Inuicta Ducum in Ostrog Soboles,
Palatina Vilnensis,
Martis planè Poloni Bellona,
Id est Magni Exercituum Ducis,
Magni Moschorum, Suecorum, Turcarum Victoris,
Non thori magis, quàm Heroicarum virtutum consors,
Videtur planè viriles mariti sui, hausisse animos.
Ita in omnes Fortunæ impetus obfirmata;
Ita vbique Fortis, vbique Constans:
Vt nulli planè, Fatorum telo crederetur obnoxia.
Inter tot Bellorum, ac infortuniorum tempestates;
Tanta illi fuit de sublimitate serenitas:
Vt erectissimam inuictæ Heroinæ mentem,
Iure optimo Montem illum appellares: Olympum de quo Plininus & alij.
Qui proceritate suâ nebulas omnes eluctatus,
Perpetuâ serenitate conspicuus est.
Et non fuerit hactenus inter Matronarum laudes
Constantia, computata.
Hodie iam inter eas censeri debet:
Quia Princeps nostra non tam nomine quàm re,
Ipsa Constantia fuit.
Facessant Constantes & Constantini:
Abscedant, rarò nominis sui mensuram implentes, Constantiæ.
Felicius ista tituli huius Etymon expresit.
Quàm multi Constantini,
Inter Auos ac Proauos eius numerentur;
Melius ex eius moribus, quàm ex Historijs didicimus.
Tot Heroibus, solo dissimilis sexu;
Quot illi inter viros, illa inter fæminas fuit.
Omni horâ, ausa prouocare Fortunam;
Ita omnes illius conatus contempsit;
Ac si illis minimè obnoxia fuisset.
Maior animus, quam vt à Fatorum leuitate posset circumagi:

Cùm

Cùm circa eum omnia mouerentur; semper immotus;
Multas cùm passus sit, nullas sentire videbatur angustias.
Altitudo tanta,
Quæ infra se agebantur, ne sensit quidem.
Communi totiùs Patriæ fato, bonis omnibus exuta:
Ita omnium iacturam tulit, ac si optasset.
Gratias tibi Fortuna,
Sæpè magis propitia, cum parcis minus.
Cum maximè irata sæuiisti?
Tum maximè in Principis nostræ laudem laborasti.
Poterat quispiam de eius animi Fortitudine dubitare:
Tu hunc omnibus scrupulum exemisti.
Quam omnes circumdabant Gratiæ;
Felix videri poterat, non fortis.
Facile nimirum est inter prospera stare.
Inter aduersa, etiam non cadere, prodigium est.
At verò inuictus Principis nostræ animus,
Etiam tot inter ruinas erectus stetit.
Stetit verò tantummodo!
Imo ab ipsis ruinis altius euectus,
Tùm, si aliàs vspiam, se suaque despexit.
Tot Fortunarum ruinæ, gradus fuêre ad cœlum.
Caue tamen ne tot inter infortunia infelicem dixeris.
Bene constitutus animus, etiam inter aduersa, felix est.
Vt plerique in Magnarum Fortunarum medio, miseri;
Ita alij, inter infortunia censentur fortunati.
Res intima fœlicitas est.
Nihil extraneum respicit.
Egregia Principis virtus, etiam sine Fortuna felix est.
Ita tum Princeps nostra,
Omnibus fortunæ machinis impetita, non fracta:
Cùm se vbique integram circumferret,
Ipsa sibi, vbique suffecit.
Cùm se antequam pelleretur, putaret exulem:
Ita Possessionum iacturam tulit ac si optasset:
Sua omnia ita reliquit; ac si aliena tenuisset.
Denique vbiq; fortis, non item vbiq; felix:
Hoc ipso nobilitata est capite;
Quòd in ipsius rectè factis,
Virtuti debentur omnia; Fortunæ nihil.

INSCRI-

# JNSCRIPTIO VII.
## Amor Iustitiæ.

Ne tu quidem à Monumento hoc abesse possis
Regum & Principum ingens Munimentum
**Iustitia.**
Dum Iusta, Iustissimæ Principi exoluimus,
Ipsam plorare decet Iustitiam.
**Hæc quoq;**
( Aliàs in Matronarum laudibus rarissima )
In Principe nostra viriles animos conspicata;
In addictissimis omni Æquitati manibus,
Hactenus viris ipsis creditam,
Et Libram deposuit, & Gladium.
Illa verò, nulli Heroum impar Heroina,
Ad ipsius Iustitiæ normam, vtrâq; vsâ:
Æquissimè Stateram librauit, & vibrauit gladium.
Et Libra quidem sæpius vsa,
Gladio etiam semel vti debuit.
Nempe, parricidali seditiosi Schismatis ferro impetita;
Ferrum vel inuita, stringere debuit Princeps aurea.
Armatam Rebellionem, ne sæpius timere cogeretur,
**Semel terrere debuit.**
Nec corrupit lenitatis gloriam, moderata puniendi seueritas.
**Bonis nocet, qui parcit malis.**
Senec. Tam omnibus ignoscere crudelitas, quàm nulli.
Et aliquando, venia supplicio crudelior est.
Venenata Schismaticæ rebellionis Hydra,
**Vt illa Herculea,**
Facilè repullulat, ni facem sentiat, & gladium.
Vbi tanta in Principes scelera, regnum obtinent,
Pusilli animi est inconsulta Clementia.
Quos flectere non potuit, plectere omnino debuit,
**Princeps nostra.**
**Magnam vel inde laudem merita,**
Quod priuatis damnis, publicam securitatem redimeret:
Atque ita affectus suos moderaretur;

Vt neque multâ asperitate, subditorum animi exulcerarentur:
Neque nimiâ lenitate, insolescerent.
Sanè, id ex ipsius Politiei præscripto.

Bonorum Principum est,

Non tam delicta velle punire, quam tollere.
Ne, aut acriter vindicando, æstimentur nimij:
Aut leniter agendo, putentur improuidi.
Aliàs non minus remissa in pænis,
Quam profusa in præmijs:
Bene semper beneficia collocauit;

Nec male supplicia.

Fuerit hæc olim Augusti gloria,
Nostra quoq; Princeps, magnis in eam passibus immigrauit;
Quod nullum vellet viuere,
Aut impunè malum, aut gratis bonum.
Denique, quia primus florentis Iustitiæ flos est,
Reddere vnicuiq; quod suum est,
Suum vnicuique ius, pleno iure, seruare assueta;
In ipsam quoque Mortem, minus æqua videri noluit.
Mutuò sibi datam vitæ vsuram sciens;
Vltra Principum consuetudinem,
Hilari vultu, supremum exoluens debitum

Morti quoque;

Immo Deo, ac Æternitati
Reddidit quod suum est.
Si Pietate & Iustitiâ, homines Dij fiunt:
Quantam tibi, Princeps æquissima, Apotheosin debemus?
Si te effati istius auctor Octauianus vidisset,
Vt Deam coluisset.
Sed quia Mortalitatis tuæ non immemor,
Diuinos auersaris honores;
Immortalitatis tuæ secura,
Mortales interim à nobis accipe.
Abi viator & disce.
Non frustra Iustitiam muliebri habitu pingi:
Quæ etiam in fœminis, tantum regnum obtinet.

# JNSCRIPTIPTIO VIII.
## Clementia in Subditos.

Iustitiam, Solem Regnorum, appellauit quispiam. Lipsius Polit. l. 2. c. 12.
Clementiam, Lunam Imperiorum.
Bene est, asserti hujus ingens Argumentum,
In hoc etiam funere inuenit.
Ad illius Principis tumulum stamus;
Apud quam vtriusque virtutis flos, domesticus fuit.
Ducalem pro gentilitio stemmate Lunam præferens;
Viuum Clementiæ Symbolum,
Non minus in se expressit, quam in Stemmate.
Si vspiam alibi, hic certè,
Nunquam Luna hæc Eclipsim passa;
Nunquam non plena fuit.
Etsi aliquando Soli Iustitiæ, visa est opposita:
Ita tamen, perstringentes illius radios in se collegit;
Vt vmbrâ suâ, eos temperaret, non extingueret.
Nimirum ANNA ALOYSIA,
Princeps nostra,
Vtriusque Nominis sui Fœmina fuit.
Gratiosam ANNÆ clementiam,
Cognato ALOYSIANI acoris Aloë, ita in se miscuit:
Vt nec Clementia, omnino remissa;
Nec Iustitia nimium foret aspera.
Vis rem clarius loquar?
Supra omnium Fœminarum Naturam,
Et vltra multorum virorum gloriam;
Ita Iustitiæ Clementiam fecit Affinem;
Vt neque illius rigor nimius, huius lenitati:
Neque huius facilitas, illius præiudicaret Æquitati.
Magnum hoc est in Principe:
In Fœmina, etiam Prodigium est.
Quia tamen Princeps nostra,
Multorum Heroum animos prætergressa,
Mediâ vbique incessit semitâ;
Pulcherrimè, vtriusque virtutis, euasit extremum.
Parricidali, Rebellium subditorum, ferro impetita,
Ingens incendium, parcissimo restinxit sanguine.

Semel seuera, ne semper esse cogeretur.
Tantilla tamen seueritas Clementia potius dicenda est.
Quippe, trium exitio, cæteros admonens Maiestatis;
Quibus nullo modo, bonam indere animam potuit,

## Malam ademit.

Tam enim omnibus ignoscere crudelitas, quàm nulli. Lipsius Polit.l.2.c.12.
Reliquos cum perire meruissent; seruare maluit.
Hoc enim magis Ducale & propius Diuinitati est.
Vt medicum multa funera, Seneca.
Ita Principem multa supplicia infamant.
Vilissimi etiam sanguinis parsimonia, Tacitus.
Magnam Principibus laudem conciliat.
Fallitur quisquis nimiâ seueritate,
Maiestati auctoritatem posse conciliari existimat.
Nullâ re magis vulgarem staturam excedunt Principes;
Quam Humanitate & Clementiâ.
Magis miranda sunt fulmina vbi seruant,
Quàm vbi sæuiunt.
Tyranni vox illa fuit non Principis,
Belluæ non Hominis;
Oderint dum metuant.
Bonus Princeps illud maximè timet, ne timeatur:
Etiam illorum, quos punit amores emeritus.
Et impleuerit tum Clementissima Princeps,
Magnum, Optimi Principis Nomen.
At verò, tum etiam, turbulentum Schisma ostendit,
Quid ab eo toti Reipublicæ timendum fuerat.
Tanta in Principem innocentissimam tempestate excitatâ;
Iam tunc præsentis perfidiæ ac Rebellionis
Quoddam veluti rudimentum dedit.
Et non inane, audendi periculum fecit.
Quia tamen lenissima Princeps,
Ad veniam promptior fuit, quam ad pœnam:
Cum placata esse non posset sceleribus;
Adhuc esse mitis voluit sceleratis.
Æquè parata donare beneficia,
Ac maleficia condonare:
Dum singulorum declinat inuidias;
Dum omnium gratias demeretur;
Mirum erat, nisi omnium sibi amores conciliaret.
Iniurias, eò æquius tolerans; quo iniquius inferrentur:
Celsiorem se fecit,
Quàm vt ad eam popularia tela pertingerent.
Nullius iniuriæ memor, nisi vt condonaret:
Ad solius Clementiæ suæ Tribunal,
Omnes offensionum causas retulit.
Aliàs tenerrimum Principes sensum habent.
Vt Elephantos, ita plerosque purpura feros facit.

INSCRI-

# JNSCRIPTIO IX.
## Prudentia.

Heu! quot in vnius Principis tumulo clades,
Non tantum Fortunarum, ſed etiam Virtutum!
In ANNA ALOYSIA CHODKIEVICIA,
Virtutes aliæ Principem,
Prudentia, etiam Magiſtram amiſit, ac Ducem.
Vt illa ſit aduerſus aduerſa omnia maximè obfirmata;
Abſtinere tamen hîc à lacrymis nequaquam poteſt,
Vbi ipſamet propè, luctuoſum cadauer effertur.
Fatalem prudentiſſimæ Principis iacturam,
Stupor ſine lacrymis pertulerit, non Prudentia.
Neque hæc per Encomiaſticam Hypèrbolen dicta putaueris.
In Principis noſtræ laudibus, nulla Hyperbole locum habet.
Liceat à diſertiſsimo in Purpura Oratore,
Dictas Amalusunthæ laudes, in Principem noſtram deriuare. Caſſiodor. lib 5 Var. Or. 9.
Satiùs de hac, quàm olim de illa dixerit ille;
Si Prudentiam quæris? hæc fuit,
Si Fortitudinem? nulli ceſſit;
Conſilio optima: Ratione vbiq́ue victrix,
*Plenum ipſa ſecum Senatum circumferens:*
*Non puduit vnquam nec pœnituit viros exequi,*
*Quod illa, Magnæ mentis Fœmina, cenſuiſſet.*
Miraris tot vnius Heroinæ laudes? omnes ſibi Princeps noſtra vendicat.
Prior illa, noſtræ huius quoddam veluti Prototypon fuit.
Ipſa ſibi in pleriſque *Conſul*: ipſa *Senatus*!
Quoties ſe in Concilium ſuum admiſiſſet,
Errauit nunquam.
Ex altiſſima erectæ mentis ſpecula,
Ita Temporum omnium viciſsitudines præ oculis habuit,
Ita Præteritorum memoriâ, Præſentia diſpoſuit;
Acſi Futura etiam, ſolerter præuidiſſet.
Bifronte Iano circumſpectior, Vterque eſt Prudentiæ Symbolũ.
Centoculo Argo oculatior,
Ita ſe ſuaque omnia circumſpexit:
Veluti omnia temporum ac ætatum diſcrimina,
Capaci non minus animo, quàm pupillâ fuiſſet complexa.
Infallibilis Oraculorum eius veritas
Iam in pleriſque euoluitur.
Fieri iam debere quæ illa prædixerat, non diffitemur;



Quia

Quia iam plurima, ex prædictionum eius formula, geruntur.
Adeò vt æmula planè Annæ Phanuelis filiæ videatur, De qua Luc. c. 2. ℣. 37.
Cuius non ipsum tantummodò nomen,
Sed etiam, annexam, integerrimæ viduitati, Prophetiam,
Ad viuum expresserit.
Inest nimirum Principum effatis, quædam Oraculorum auctoritas:
Est quidam entheus in magnis mentibus spiritus.
Hoc afflati Principes, futura, præsentium more, disponunt;
Quâdam Prudentiæ ac Prouidentiæ Prophetiâ.
Heu! talem hodie Principem comploramus.
Quædam veluti ingeniorum ac consiliorum Pandora,
Omnes Prudentiæ numeros ita in promptu habuit:
Vt, aut multorum virorum ingenia deuorasse;
Aut Maiorum suorum, Senatorium, Ducalemque genium,
Capacissimo pectore complexa esse videretur.
Aliàs non omnino frequens spectaculum est,
Vt vna ceruix, plura maturioris Iudicij, ingenia circumferat.
Rarum hoc in viris, rarissimum in Fæminis.
Quæ vt plurimùm passionum impetu, in deuia abreptæ,
Consilia nec dare possunt bona, nec accipere.
At verò nostra hæc Heroina,
A consultissima Bonæ mentis Curia,
Omne Passionum & Affectuum vulgus submouens;
Soli Rationi & Fasces tradidit & secures.
Tam consulere alijs prompta, quàm alienis parere consilijs expedita:
Pertinacem Fæminarum genium, correxit de suo.
Prudentissima dissimulatione in plerisque vsa:
Magnum suffragium adiecit Politico asserenti, Tacit.
Expedire Principem scire omnia, non omnia exequi.
Aliàs nimium cauti, incidunt in cautes.
Et dum falli timent, fallere docent.
Iactet ergo vetus Roma suas Ægerias, Liuius lib. 1.
Prudentissimi Numæ Pompilij Consultrices: Herodot. l. 8.
Caria Arthemisias, Xerxis Oracula, celebret; Baron.
Imperiorum, ac Imperatorum Magistras, Pulcherias, Oriens;
Occidens, Liuias prædicet & Drusillas: Plutarch.
Princeps nostra, omnium encomia
Insignis Prudentiæ, laude, aut superauit, aut æquauit.
Fuerit Iulia Mammea Alexandri mater,
Cuius ille nutu Orbis terrarum Imperium prudentissimè rexit,
Magnâ consiliorum vi celeberrima. Volater. lib. 16.
Ne huic quidem herbam, Princeps nostra, porriget.
Alexandri & illa fuit, non Mater sed Filia.

INSCRI-

# INSCRIPTIO X.
## Temperantia, & vitæ Austeritas.

Frustra es hìc cum parentali Cupresso, Hospes.
Lauros etiam, & Palmas Floribus nostris adnecte.
ANNA ALOYSIA CHODKIEWICIA.
Generosissima sui victrix,
Vbi se sibi, Duce Temperantiâ, subiecisset:
Post tot de se relatas victorias, & triumphos,
Triumphalem Laurum à te exigit.
Nimirum, Bellicosissimorum Maiorum
**Filia, Neptis, Nurus.**
Postquam Marti Polono nupsisset;
Martialem gentis suæ genium, armis Maritalibus ita iunxit;
Vt perpetuum sibi ipsi bellum indixerit.
Noua planè Seculi nostri Amazon,
Cùm, è recentioris Æui norma, confligere cum hostibus non posset:
De se ipsa, grande sibi Trophæum erexit.
Humanis implicita, Diuina non deserens;
Religiosior in Palatio, quam alij in Asceterio:
Se vnam semper persecuta,
Sibi vni, implacabili odio, fuit infensa.
Adeò, vt nec lacrymis sibi potuerit conciliari, nec sanguine.
Quà Cilicijs in se armata, quà flagellis,
Dubites, suâne magis, an Ducali Purpurâ nobilius fulserit?
Cum ei suum toties affudisset sanguinem
Fecit eam dibapham, ac planè bis tinctam.
Sui vbique seuerissima Exactrix:
Visa est ita omnem in alios expendisse lenitatem;
Vt solos sibi reseruaret rigores.
ALOYSIA, amarum alijs ac insuaue Nomen:
Cuius tamen rigidam asperitatem,
Nemo magis, præter ipsam, expertus sit.
Si vtriusque Nominis eius Etymologiam discutias;
Asserere omnino debebis,
**Principem nostram.**
ANNAM extitisse alijs; ALOYSIAM ipsi sibi.
Nullius magis Domina, quam Corporis sui:
Ita Dominium sui Regnis omnibus prætulit;
Vt cupiditatibus, nec coacta sit seruire suis;
Nec vnquam voluerit alienis.
Nempe, pulchrum est Imperantem alijs, Imperium sui tenuisse.
Turpe est, extra se Principem; intra se Seruum esse.

Gemi-

Geminâ fame Deum honorans:
Alterâ, quam in corpore, frequentibus ieiunijs aleret;
Alterâ, quam in animo, pijs commentationibus nutriret:
Ipsis tantummodo Abstinentijs potuit saturari.
Esurierit suas inter epulas Tantalus:
Illius tormentum, Princeps nostra, felicius est imitata.
Inter Ducalium Mensarum opulentiam ita versata est;
Vt integerrimam illi soli famem reseruaret,
Qui vnicus famescentis animæ Cibus erat.
Ita omnibus voluptatibus, offensus animus;
Turpium odio, sæpe nec honestas admisit.
Illâ tantum voluptate contentus, quæ ex rectè factis percipitur;
Aliam omnem, ademptam Tempori,
Immolauit Æternitati,
Peccata detestata vbi erant: verita vbi non erant;
Cùm in se certa punire nequiuerit; puniuit dubia.
Imò &, persæpè grauissimè, in se, torsit aliena.
Et quia mirum erat, si adeò ingens Animus,
Sine multarum ægritudinum angustijs in corpore habitaret:
Ex frequentibus, quibus vrgebatur morbis,
Patientiæ, ( quæ genuina Temperantiæ proles est )
Vberem sibi offerri messem est gratulata.
Quò corpore imbecillior, eò Animo fortior:
In frequentissimo magnarum Ægritudinum Gymnasio,
Ad vsq; vitæ ipsius, contemptum profecit.
Tot Morbos, quotidianos veluti mortis monitores,
Eò tulit æquius; quò ad Immortalitatem anhelaret ardentius.
Assiduum tot Infirmitatum Exercitium,
Mirum erat, nisi in Artem Bene moriendi transiret.
Et miretur quispiam, in mortis amplexum vltro iuisse.
Quæ omnem eius supellectilem in delicijs habuit.
Diceres, vt semel benè ac suauiter moreretur,
Didicit sæpius per partes mori.
Tandem quam vitæ fatigabant virtutes;
Eandem, morborum vitia, quæ sola corrigere non potuit,
Minimè repugnantem, ac pænè volentem, peremerunt.
Discite hinc Mortales, Gemino Temperantiæ & Patientiæ magisterio.
Vt semel bene moriamini, *Sæpe mori.*
Hic etiam Habitus, ex Actuum frequentatione nascitur.

INSCRI-

# JNSCRIPTIO XI.
## Liberalitas in communi.

Abeſte ab hoc funere Parcæ,
Liberaliſsimam Principem tumulamus.
Adeſte Liberales Gratiæ,
Vnam ex vobis; aut vos omnes in vna;
Fatali hodie tumulo inferimus.
Siue nominis Etymon, ſiue animum ſpectes:
Etiam ANNA ALOYSIA CHODKIEVICIA,
Vna Gratiarum fuit. Anna quæ Gratiam ſonat.
Iure omnium Gratiarum nomine inſignita,
Cui omne hominum genus tot debet gratias.
In hoc imprimis ſe Principem ſibi gratulata;
Quod è ſublimi magnæ Fortunæ ſpecula,
Melius aliena ſpectaret incommoda:
Videbatur toties accipere beneficium,
Quoties rogaretur conferre.
Diuitias benè collocare melior, quàm augere:
Tum demum ſe ditiſsimam, ac feliciſsimam credidit;
Cùm in plures beneficia effudiſſet.
Id eſt: diuites æquè, ac felices, quam plurimos effeciſſet.
Nimirum maior Principum felicitas,
Felices facere; quàm eſſe felices.
Adeoque maior diuitiarum magnificentia,
Ditare alios, quàm diuitem eſſe.
Habeat effati ſui veniam Stoicus, aut poſtulet.
Errat, inquit, qui exiſtimat rem eſſe facilem donare. Seneca.
Imo verò tu erraſſe videris Philoſophe,
Si rigidam Philoſophiæ tuæ gnomen,
Ad omne hominum genus extendiſti.
Quod alicui à natura inditum eſt, nequit eſſe difficile.
Quid autem magis naturale eſt Principibus,
Quàm donare?
Et fuerint olim ſordidæ Parſimoniæ mancipati Vitellij: Sueton.
Principi noſtræ nihil facilius fuit; quàm largiri.
Nihil difficiliùs;
Quàm aut negare: aut non vltrò beneficium conferre.
Poterat in ea Liberalitas videri Natura non virtus.
Sit ſanè, ex eiuſdem Stoici ſenſu,


Maior

Maior aliquibus lucta, cum auaritia, quam cum hoste: Seneca.

Princeps nostra,

Vt ab omni Bellorum strepitu abhorruit;

Ita certabat beneficijs:

Vt illi nulla gratior euenire victoria potuerit,

Quàm quæ beneficijs parta esset.

Ita nimirum res habet.

Turpiùs est Principem beneficijs vinci, quàm armis.

Non maior est qui ferro hostes,

Quam qui auro amicos vincere nouit.

Addebat beneficijs pondus spontanea liberalitas.

Illius enim munificentia digna est,

Apud quem, citiùs beneficium inuenitur

Quàm quæri potest.

Quod multis precibus ægrè extorquetur,

Beneficij nomen vix meruit.

Quia carò venditum; nimis carò emptum est.

Bouem in Nummis pinxerint alij: Roman. Alex. ab Alex.

Quibus æquè graue fuit, ex arca Nummum tollere;

Quam olim Miloni Crotoniatæ, bouem succollare. Plutarch.

Alij Testudinem, in aurea, argenteaque moneta expresserint: Polopone-sienses.

Apud quos, difficile est, & nimis tardùm, quidpiam dare.

Apud Principem nostram, pecunia,

Non minùs rotunda fuit, quàm alata.

Vt potè quæ non testudineo passu incederet:

Sed in quorumuis vota, facilè se circumageret:

Imò vltrò in egentium manus inuolaret.

Illud maximè in sua amans Fortuna;

Quod prodesse non solùm miseris, sed etiam felicibus posset:

Nunquam satiari potuit beneficijs;

Nunquam, alienis precibus, fatigari.

Atque hinc disce Viator, *vsum* simul Fortunæ & *fructum*.

Ille Fortunâ suâ optimè vtitur,

Qui eam quàm plurimis secum facit communem.

Vt enim maximum est, fortunam tenuisse præ alijs:

Ita optimum, deriuare in alios.

# JNSCRIPTIO XII.
## Profuſa in Deum & Cœlites Liberalitas.

Vos quoque ad funeris huius luctum,
Pertinetis Superi.
Eam parentali luctu efferimus,
Quæ tot in homines beneficia contuliſſe non contenta;
In ipſos quoq; Cœlites eſſe voluit liberalis.
Fuerit Artaxerxes Longimanus appellatus; Plutarchus
Nouimus & longas Regibus eſſe manus; Ouidius.
Noſtræ tamen Principis fuêre exporrectiſsimæ:
Quæ liberalibus donarijs onuſtæ,
Ad ipſius Numinis ſedem extendebantur.
Hinc illa Sacrorum Maieſtas procurata:
Hinc tot Templa, & Sacraria,
Dotata, ditata, ac erecta:
Hinc pretioſa Eccleſiarum ſupellex;
Adeòque mundus omnis Ducalis, Aris impenſus,
Id eſt, Mundi totius factori, immolatus.
Religioſiſsima Princeps,
Tum ſe maximè cultam exiſtimauit:
Cum omnem cultus ſui pompam,
Diuinò cultui dedicaſſet.
Vectigalem ſe Deo ſciens,
Tributa ſua, ornandis eius templis impendit.
Æquè religioſa, cum Schiſmaticorum Aras euerteret;
Atque cum Orthodoxæ Fidei erigeret:
Omnem ab eis pauperiem arcere voluit.
In Templis non minus religioſa, quam frequens:
Viſa eſt eorum inſtaurationi,
Magis etiam profuiſſe moribus, quam ſumptibus.
Quoties ſupplex ad Aras Diuorum accederet;
Illuc videri potuit ex Aſceterio, non ex aula, veniſſe.
Nullibi magis, quam in Diuino cultu exquiſita:
Nullibi magis, quam in ſacrorum impenſis, Magnifica:
Quidquid alij Principes,
Ex ſumptuoſa Palatiorum maieſtate, quæſierant:
Totum id longè felicius,
In Diuinorum inſtauratione, inuenit.
Erigant ergo alij immortales Honori ſuo Coloſſos.
Tu Princeps, poſt hominum memoriam, Religioſiſsima,

Diui-

Diuino cultui propagando impensa
Augustiora Nomini tuo Trophæa erexisti.
Certauerit cum Munificentia tua, hostilis immanitas;
Et quæ tu cœlo admoueras, solo æquauerit:
Illâ ipsâ hostili flammâ, Religio tua illustrata;
Ipsis illis ruinis, tui Nominis immortalitas suffulta est.
Quot in ruderibus illis numeramus lapides;
Tot facundos speramus Memnones,
Qui te subsecuturæ Posteritati loquantur.
Licebit vel ex ruinis metiri,
Quanta fuerit beneficentiæ tuæ magnitudo.
Neque enim magnæ molis, parua ruina:
Neque ingens ruina, exilis casæ, indicium est.
Apage hinc fabulosa antiquitas.
Si magnificâ Templorum erectione,
Superi in terras euocantur:
Nostræ illud Principis Elogium, nostræ artificium est. Luciani.
Facessat illius vetus fabula,
Diuos omnes catenâ aureâ,
In terras è cœlo detrahentis.
Iisdem & illa vinculis, felicius vsa,
Tot Cœlites Ditionum suarum inquilinos effecit.
Macte hâc tua pietate Princeps.
Extruant alij sublimes in Patriæ tutelam muros:
Tu optimum ei prouisura Munimentum;
Tot Cœlitum Aras extruxisti.
Pro Focis Patriæ pugnent alij:
Tu quam à Campo Martiali sexus exclusit,
Diuorum Aras tuendas suscepisti:
Pro illarum integritate, ferro & armis illi:
Tu contra Temporum iniurias,
Auro & liberalibus impensis decertasti animosius.
Nescio an cum veritatis suffragio,
Ex lateritia Marmoream se fecisse Romam Sueton.
Gloriatus est Augustus.
Penes illum gloria, te penes facti veritas stetit,
Quæ extremam Sacrorum pauperiem;
Id est luteas, aut ligneas, pauperrimæ Religionis casas,
Non solum Marmoreas,
Sed Aureas planè effecisti.

INSCRI-

# JNSCRIPTIO XIII.
## Pietas in Parentes.

Eximiæ in Illuſtriſſimos Parentes Pietatis,
Hoc primum ſpecimen eſto;
Quod vtriuſque mores, ad viuum exprimens,
Suprema planè Heres fuerit;
Et Magnanimitatis Paternæ, & Maternæ Pietatis.
Patre Alexandro, Palatino Volhyniæ nata;
Poterat illum Alexandrum feciſſe, niſi iam fuiſſet.
Ita vbique Heroicam mentis generoſitatem eſt profeſſa;
Vt planè Alexandro Patre genita, crederetur.
Si vſpiam alibi, hîc aſſerti ſui fidem Philoſophus inuenit, Ariſtotel.
Cùm patriſſare filias edixiſſet.
Vt deſint alia, quæ viri illius magnitudinem commendant,
Hæc ipſa minima natu filia,
Illum, Magnum omninò Alexandrum fuiſſe oſtendit.
Vnum tantum erat, quod in tanto Heroe amare non poterat;
Addictus nimirum Græco Schiſmati animus.
In hoc illa vnico à Patre pulcherrimè degenerauit.
Vel eo ipſo Schiſmati maximè infenſa;
Quod illud nec omnino odiſſe poterat, nec amare.
Mancipatos Orthodoxæ fidei affectus,
Tandem rerum potita, in peruerſum dogma;
Laxatis omnium impedimentorum repagulis, effudit.
Et quia Illuſtriſſimus Parens,
Eiuratum in ſupremo agone Schiſma,
Teſtibus pœnitentis animi lacrymis eluit;
Ne auguſti cadaueris ſepultura,
Profanum Græcæ Religionis delubrum Oſtrogij.
Suis fulciret cineribus;
Sui etiam capitis præſentiſſimo periculo, effecit.
Id eſt, Paternis Manibus, patronas manus porrigens;
**Ducali Cadaueri,**
Vltra funebrem Cupreſſum,
Etiam relatas à rebelli plebe palmas, adiecit.
Deſinat ergo ſuos Troia iactare Æneas.
**Princeps noſtra,**
Omnes Heroum laudes, capaci pectore complexa
Antiquam Troiani Æneæ, ſeu fabulam, ſeu Hiſtoriam
Virili planè innouauit exemplo.
Illuſtriſsimum Parentem ſuum,


Quem

Quem superstitem non poterat;
Eundem post fata, è fatali incendio extulit.
Id est, è Schismatica humo erutum,
(Ne profana tellus ossibus eius grauis foret)
Sanctiori tumulo intulit. Iıroslauiæ
Ita in Paternos cineres pientissima;
Etiam Maternæ Pietati suam vbique adiecit.
ANNA planè ab ANNA genita;
Id est, Gratiæ Matris, gratiosissima Filia.
Sed quia Nominis & Sanguinis Materni gloria,
Capacissimum pectus non satis impleuerat:
Vtriusque Hæreditati, Maternas etiam virtutes adiunxit.
Quidquid in causa Religionis ausa fuerat;
Imitari non contenta, æmulari etiam voluit.
Eius liberalissimæ Pietati, vbique suffragata de sua:
Ne cum illa beneficia eius mortua viderentur,
**Suis animauit impensis.**
Eius fauores suis prosecuta:
Eius vota & desideria, ita vbique impleuit;
Vt absens etiam, à suis desiderari vix posset.
Cuius cum Nomine, omnes planè virtutes,
In Principe nostra essent superstites;
Quidni illa, etiam post funera, vixisse dicatur?
Et alteram se, in tanta filia genuisse?
Fuerit ergo hæc olim fabula,
Senio confectum Æsonem à filia sua Ouid. in Metamorph.
In viridem iuuentam recoctum:
Fabulam hanc, Princeps nostra, Historiam fecit.
Vtriusque Parentis posthumos cineres,
Ita suis animauit exemplis;
**Vt non minùs ante, quàm post funera,**
**Viuere superstites viderentur.**
**Quisquis es Viator, caue.**
Ne illi per te, aut in te mori videantur,
Qui tuam tibi contulerunt vitam.
Digni sunt, vt tuo beneficio semper viuant,
Qui vt aliquando viueres; effecerunt.

# JNSCRIPTIO XIV.
## Amor Maritalis.

Conuolate ad funus hoc, CHODKIEWICII Gryphes.
Aurum alicubi fabulosi excubitores custodistis: Plinius.
In Cinere Isto
Omni auro pretiosiorem Amorem inuenietis:
Cuius sacer ignis, sub cinere hoc, viuit adhuc.
Tu quoque Illustrium connubiorum auspex Hymen,
Abesse à tumulo isto, nequaquam potes.
Tot mortualis pompæ luminaribus,
Tua etiam fax debetur.
Nunquam illa clarius micuit,
Quam à tot Illustritatibus aucta.
Merito hîc tecùm sepulchrali tæda sistam;
Quandoquidem tantæ domus non diuturnus hospes,
Maritalem facem, in Martialem tædam commutasti.
Illustrissimus CAROLVS CHODKIEWICZ,
Ne annuus quidem Principis nostræ Maritus;
Moschouiticis, Liuonicis, Sueticis victorijs,
Nouam ex Orientis Imperatore Laurum additurus:
Maritalem, Ducalis Fessenninæ tædam,
In Martiales, Bellonæ, faces adussit.
Dispice ergo tecum maturè Polonia,
Quantum tumulo huic debeas.
Parum est tumbam hanc funebri Cupresso coronasse:
Palmas etiam, & Lauros illi debes.
Nisi aut immemor, aut omnino ingrata sis;
Magnam illam Chocimensis Victoriæ partem,
Huic tumulo acceptam referes.
Nescio, an in eam quispiam plura contulerit?
Certè Principi nostræ, magnis stetit impensis.
Extinxisti veterum Amazonum gloriam, Princeps Illustrissima:
Aut virtutem illarum, tuâ illustrasti.
Illustrissimum Maritum tuum, in Martialem arenam,
Non tam pedibus, quam mille affectibus comitata;
Damnis tuis, totius Patriæ commoda,
Imò totius Christianitatis incolumitatem, redemisti:
Orbitas tuâ, totius Europeæ orbitæ, pretium erat.
Per tuas planè lachrymas, cum aliud iter non pateret,
Salus publica, ad Bonæ Spei Portum appulit.
Ad luctus ergo & lachrymas

Ab illo, Magno plane, Carolo, relicta
Soli nubens dolori;
Quem diutius superstitem habere non potuisti,
Eum funeris magnificentiâ voluisti æternare.
Nihil egisti, inimicum, magnis Nominibus, Fatum.
Quem tu Imperatorem eripuisti Tempori;
Eum, consors Illustrissima, restituit Immortalitati.
Poterat ille credi nunquam mortuus:
Qui non minus in recenti Posterorum memoria;
Quam in amico Illustrissimæ consortis pectore,
Semper vixit superstes.
Ne hodie quidem cum illa sepeliri dicendus est.
Quæ vt æternùm, post sua etiam fata, viuat, effecit.
Et quia viuacissimus extincti amor,
Posthumis honoribus, semel satiari non poterat:
Primi funeris Magnificentiâ, non contenta;
Alterum, multis magnisq; instaurauit impensis. Cum Ostrogij è Templo Parochiali, ad Colleg: Soc: IESV transferetur.
Vidisti tum Volhynia, nouam planè Phænicem;
Quàm ex fecundo cinere, non iam *Solis* radij,
Sed coniugalis *Lunæ*, amicus splendor
Ad nouam planè animabat vitam.
Dubium erat, Funusne illud dicendum esset? an triumphus?
Adeo, vt tum demum victoriosum cadauer,
De Orientis Tyranno
Triumphalem pompam egisse videretur:
Aut, ne tot laureis dignissimus Imperator,
Semel tantum Triumpharet,
Per Illustrissimam Coniugem stetisse.
Ita noua sæculi nostri Arthemisia, Alex: ab Alex.
Meliori Mausolo parentans;
Recentissimo exemplo,
Antiquam Orbi nostro commendat Virtutem.
Cineres Mariti, vt prior illa, non bibit:
Nihil enim citius concoquitur,
Quam grata amicorum memoria.
Hanc vt semper in se Princeps nostra foueret,
Maluit, mortui coniugis Spiritum haurire,
Quàm cineres.

INSCRI-

# INSCRIPTIO XV.
## In Literarum Studia Liberalitas.

Lugete Principum funeribus, vectigales Musæ.
Vos hîc vel maximè decet esse Præficas.
In Principis nostræ funere,
Virtutes aliæ deplorant, alumnam,
Vos Munificam ploratis Parentem.
Lugete damna vestra, si aliena dissimulatis.
Inde vobis objiciantur argumenta luctuum;
Vnde semper antea, materiem habuistis gaudiorum.
Agite, immortalibus in vos meritis,
Parem grati animi Talionem reponite.
Quæ vos dum viueret, meliori spiritu animauit,
Eandem vos post funera animate.
Sub qua & spiritum recepistis, & sanguinem:
Par est vt vestro illa respiret spiritu;
Vestrâ viuere incipiat vitâ.
**Ita planè est,**
Princeps, vel inter Sepulchrales tenebras, Illustrissima.
Quæ meliorem Literarum studijs animam inspirasti;
Posthumam ab eis ne despera vitam.
Adeò splendidè erecta, & dotata à te Sapientia;
Vectigalem tibi immortalitatem pollicetur.
Cùm adeò liberalem pauperibus Musis, dotem assignasses,
Vt plures in earum studia excitentur, effecisti.
Artes singulas, ita fouisti; ac si didicisses:
Ita æstimasti, ac si calluisses.
**Parùm dixi:**
Tanto in Musas amore exarsisti,
Vt vna ex eis fuisse videreris:
Aut illæ omnes in animam tuam commigrasse.
Fuerit fabulosa Memnosyne earum Parens, Comes Natal.
In te meliorem illæ sunt expertæ Matrem.
Assentior ingenioso lemmati tuo,
Magne olim, Regni nostri Cancellarie,
MAGNE THOMA ZAMOYSKI.
Cùm in armatæ Palladis imagine, Principem nostram figurasses,
Ipsius planè viuam effigiem expressisti.
Pallas à te credita, Pallas picta,
Ipsissima Pallas fuit;

Non minus docta, quam armata.
Nobilisſimæ cogitationi tuæ, ipſa fauit veritas;
Ipſa Pòëtarum fides ſuffragata eſt.
Hæc quoque Minerua ex Paterno nata cerebro,
Omnem Patris genium exhauſit.
Se Viduam propè eſt oblita,
Cùm citra dolorem parturientium, tot Liberorum Mater eſſet.
Fruſtra ſterilem, eius viduitatem dicamus.
Tot illa habuit Liberos,
Quot Liberorum Ciuium liberos,
Literarum ſtudijs fecit vectigales.
Horum illa, parte meliori & Mater, & Parens;
Cùm literatæ educationi, adeò liberaliter prouidiſſet;
Omnes Parentum omnium ſuperauit affectus.
Quis igitur illi iure ſuccenſeat,
Quod deſtinatam Schiſmaticorum Hoſpitali dotem, Suraſz.
In Volhynenſium Nobilium liberos, tranſtuliſſet?
Maluit valetudinarium illud, Saluti Patriæ dedicare.
Maluit vt dignas Cœlo & Reipublicæ nutriret animas;
Quàm debitas Orco, ſaginaret victimas.
Aegris Schiſmaticorum corporibus, deſtinatum receptaculum,
Ad curandos animorum morbos tranſtulit.
Id eſt, maluit prouidere,
Ne ſani corpore, animo ægreſcerent:
Quàm, ne vtroque laborantes,
Poſt liberalem Ducalium impenſarum ſtipem,
In vtriuſque mortis cenſum tranſcriberentur.
Iſtud nimirum eſt Hæredem ſibi Famam ſcribere:
Et nunquam morituræ Liberalitati,
Viuas ſpiranteſque Columnas erigere.
Abſiſtant Ægyptiæ Pyramides;
Mauſolea & Babilonici ſileantur Obeliſci.
Tibi Literarum Mecænas Illuſtriſſima
Tot Columnæ, animatæque Pyramides ſtabunt:
Quot in Palladio Amphitheatro Ingenia,
Liberalibus impenſis tuis erexiſti.
Cætera Principum beneficia, cum tempore effluunt:
Sola eos Literarum ſtudia, poſſunt æternare.

INSCRI-

# JNSCRIPTIO XVI.
## Pia in Egenos Munificentia.

Accedite pupilli miserorum greges.
Illius hodie Principis funus effertur,
Sub qua ipsa Paupertas, diues poterat æstimari.
Parum est diuitijs pretium addere:
Ipsam locupletare Egestatem, maius quiddam est.
Præstitit hoc dum viueret,
ANNA ALOYSIA CHODKIEWICIA
**Ducissa in Ostrog,**
Omnium egentium non tam Patrona, quam Parens.
Tot sustentatis miserorum centurijs
Veram se illa, ipsius Paupertatis Matrem, probauit,
Quæ adeò largâ eam vbique dote subleuaret:
Et maternis planè foueret obsequijs.
Adeste igitur atratæ pauperum turmæ.
Deesse vobis hîc lacrymæ non poterunt.
Siue ad euanescentem beneficentiæ fontem;
Siue ad angustias vestras respicitis;
Facile ob oculis, lacrymas vltrò fluentes, impetrabitis.
Nemo vos ab hac tumba arceat.
Qui, viuæ Palatium numeroso Exercitu obsedistis;
Eiusdem vitâ functæ Sarcophagum,
Densiori coronâ præcingite.
Inter tot excubantium armatorum cohortes,
Non satis se tutam rata;
Vos illa ad Palatij sui excubias conscripsit.
Qui vbique viuam, tanto numero comitati estis;
Par est, vt eam hodie numeroso comitatu,
Ad Cœleste Capitolium deducatis.
Vobis illa Metatoribus vsa,
Æternam sibi in cœlis Domum construxit.
Quò vt facilior ei pateret accessus;
Iam olim suum per vos aurum, illuc transmisit.
Erige te ad tantæ Liberalitatis exemplum, Hospes.
Ne & tu diuitias tuas amittas;
Eas, per manus inopum ad cœlum præmitte.
Huc iam tibi Princeps nostra præiuit.
Quò, vt tu etiam magno passu sequaris;
Tot in terris beneficentiæ suæ, vestigia reliquit.

Pientissima miserorum Parens,
Inopum miserias, siccis oculis videre non sustinens;
Sæpe ex eorum oculis lacrymas, transtulit, in suos.
Eorum doloribus ægra, eorum egestate afflicta:
Se in illis egere, se abundare putauit.

Nemo est qui meminerit eam,
In causa Pauperum prece irritâ rogatam:
Ex quibus solos quos non nouerat non aluit.
Maiori animi voluptate, illis beneficia fænerans,
Qui soluendo non essent:
Fideiussorem Deum, ita sibi deuinxit;
Vt omnibus facultatibus suis, exui non timeret.
Hinc ad Paupertatis vsque periculum
Profusa in Pauperes:
Ita illis sua dedit omnia,
Acsi seipsam etiam debuisset.
Quidquid in eos non erogaret perdidisse:
Quidquid eorum precibus negaret,
Suis illud damnis accessisse, credidit.
Et quia aduitalitia Liberalitas,
Munificentissimum pectus explere non poterat:
Vt etiam post fata miserorum inopiam subleuaret,
Liberalissimè prouidit;
Atque se in donis fecit superstitem.
Tot erectis Prytaneis, tot dotatis;
Ipsam quodammodo Æternitatem,
Beneficentiæ suæ voluit obligare.
Omittere tamen omnia hæc potuit,
Si seipsam in terris æternare potuisset.
Illius præsentia,
Optimum contra omnes fortunæ iniurias, præsidium fuit.
Et quia in ferrea tempora inciderat:
Sæculi sui commune remedium;
Ampliorem se in eius angustijs fecit.
Tum maximè in pauperes profusa;
Cum maximè ad eorum fortunam accederet.
Certamen quoddam cum Fortuna instituisse videbatur.
Plusne inconstans Numen, sibi & alijs eripere;
An munificentissima Princeps, conferre potuisset.
Si non Thesaurum;
Cor certè Princeps nostra tale habuit,
Quod nullis beneficijs potuerit exhauriri.

INSCRI-

# JNSCRIPTIO XVII.
## Modeſtia, & Fortunarum contemptus.

Abſiſte Romane Plini.
Aliorum Principum importunus es Monitor; Plin. in Paneg. Troiani.
Noſtræ verò Principi minimè neceſſarius.
Nouerat illa, & ſi te, tuaque minùs nouerat:
Non minùs ſe Hominem eſſe;
Quàm Hominibus imperaſſe.
Priuati modeſtiâ, erumpentem à ſe maieſtatem coërcens;
Vel in hoc omnibus maior eſt habita,
Quod nulli eſſe dedignaretur æqualis.
Aliàs cognatus multorum Purpuræ lethargus eſt.
Id eſt profunda ſortis humanæ obliuio.
Pediſſequa eſt magnorum Honorum arrogantia.
Plerique, Homines ſe propè obliuiſcuntur,
Dum ſe Principes eſſe mèminerunt.
At verò Princeps noſtra,
Genere, genio, ingenio, maxima;
Naturæ, & Fortunæ donis eximia;
Adhuc quomodo creſceret, ſe ſe deijciendo inuenit.
Nihil enim homines, ſupra homines magis attollit;
Quàm ad omnem Humanitatem inclinata Modeſtia.
Heu! quoties hîc baſilicè delinquitur.
Quanti ſunt! qui Faſtu & Ambitione,
Magnitudinem ſuam attollunt.
Si tamen Prudentûm ſuffragia conſulimus:
Nihil magis Principum ſtaturam auget, quàm Demiſsio;
Nihil deprimit magis, quàm ſupra alios ſe ſe attollens Ambitio.
Omnis quippè Faſtus ruinæ vicinus eſt:
Et nunquam in ſolido ſtetit, ſuperba felicitas.
O quàm meliùs Princeps noſtra,
Cùm ſe, ab omni faſtu aliena, infra cæteros deprimeret,
Supra cæteros meruit collocari:
Tum demum verè maxima,
Cùm ſe omnium minimam reputaret.
Quantum hoc ſit in Purpura miraculum,
Ille te doceat, qui olim aſſeruit:
*Rebus modicis, facilè æqualitatem haberi:* Tacitus.
*At verò creſcentibus, difficilè eſt Fortunam circumſcribere.*
Omnium honori æquè addicta, quàm amica Virtuti:

Se vnam habuit, quam contemneret,
Se vnam, quam non amaret.
Ita status, staturæque suæ conscia,
Vt nulla eam inflaret Ambitio.
Nimirum, tumor mentis; morbus est, non Magnitudo.
Quidquid leue ac inane est, populari se aurâ âttollit:
Solidæ dignitatis gloria, suâ se virtute commendat.
Nec est cur tantam in Purpura Modestiam mireris.
Generoso rerum omnium Humanarum fastidiô,
Plura Princeps nostra calcare maluit, quàm possidere.
Cùm & se mundo aptare nollet;
Et Mundum sibi non posset:
Illius Pompam omnem, temnere maluit, quàm suspicere.
His maximè diuitijs inhians,
Quibus venale Cælum exponitur:
Omnium Fortunarum pretio, nihil habuit viliùs;
Nihil, earum contemptu, reputauit pretiosiùs:
Nec quidquam in illis amauit magis,
Quâm, quòd & sine vitio prodigi,
Et cùm lucro possent contemni.
Communi totius Patriæ Fato afflicta, non suo:
Bonorum omnium iacturam ita tulit;
Ac si nihil vnquam amisisset:
Asperiori Fortunæ ita se accommodauit;
Ac si in illa, & ad illam, nata fuisset.
Si nimium curiosus in vitam eius inquiras,
Deo natam esse credas, non Mundo.
Tantis ab eo culta Honoribus, & ditata Fortunis,
Ita vtramque parui æstimauit;
Vt mundo potiùs nunquam adhæsisse,
Quàm illi valedixisse visa fuerit.
Felix omninò & fortunata Princeps,
Quæ scierit perituræ Felicitati detrahere,
Quod lucraretur Æternæ.

INSCRI-

# JNSCRIPTIO XVIII.
## Deiparæ cultus propagatus.

Cum hîc inter Ducalia ſtemmata Lunam videris
Eam quoque Marianis pedibus ſubſtratam fuiſſe ne dubita.
Singularis Principis noſtræ,
In promouendo Magnæ Dei Matris cultu Pietas,
Iam olim gentilitiam Lunam ſuam, vnà ſecum,
Ad Virgineos pedes ſupplex abiecit.
An non plenior inde euaſerit? facile is concludet;
Qui MARIAM *SOLE* veſtitam, Apoc: 12.
Adeòque *SOLEM* ipſum dictam eſſe non ignorat. Cant: 6.
Et verò quidni peculiari amore MARIAM coleret?
Quæ ab ANNA genita, & ipſa ANNA fuit.
Vt Matris & filiæ geminatos affectus,
In vno Nomine Venereris;
Imò Matrem & Filiam, in corde eodem agnoſcas.
Sanè Princeps noſtra, vtriuſque tituli maieſtatem,
Si non ad viuum expreſsit; proximè æmulata eſt.
Virginem Deiparam, vt Matrem ſemper coluit;
Dotauit vbique vt Filiam.
Eam deniq; bonorum ſuorum Hæredem inſcripſit.
Hinc illa omnigenæ ſupellectilis pompa,
Et quidquid à prouida Matrum cura,
In Filiarum Dotem laboratur.
Hinc Marianarum virtutum ſolicita æmulatio.
Hinc, Sanctiſſima Dei Mater, à Principe noſtra,
Filialibus planè culta & amoribus, & moribus.
Acceſsit *Claro-Monti* ex illius munificentia noua lux.
In eo quoque apice Ducalis Liberalitas fulſit.
Gratulata Dei Matri, quod in Polonia,
Adeò *Clarum-Montem* vel inueniſſet, vel feciſſet;
Suâ quoque pietate eum illuſtrare non neglexit.
Appenſis ad Deiparæ effigies donarijs non contenta;
Magnum ipſa Thaumaturgæ Virginis Miraculum,
Magnum vbique, ac viuum Anathema fuit.
Singulos dies Marianis horis diſtinguens,
Horas omnes Virgineis dedicans auſpicijs;
Nouum planè Horologium Principum,
Non tàm delineaſſe viſa eſt, quàm extitiſſe.

Puriſſi-

Purissimo eius Conceptui dedita, plurimùm sibi gratulata est,
Armatum inter gentilitias Ceras suas habuisse Equitem,
Qui victrici hastâ Draconem premeret:
Mariani scilicet de Dracone triumphi, non inane Symbolum.
Hinc in Equite, suauiter equitantem Gratiam,
In Dracone primigenium Serpentem interpretata;
Nunquàm illi, non festum Pæana cecinit,
Quæ Originarij Draconis dirum caput,
Prius triumphali plantâ oppresit, quam terram premeret.
Augustum MARIÆ Nomen, irrefragabile Argumentum rata;
Nihil vnquam negauit, quod in eo postularetur.
Diceres, illi se omnino conformare voluisse,
*Qui nos omnia habere voluit per MARIAM:* Bernard.
Aut indignum iudicasse,
Vt aliquam preces illæ paterentur ab hominibus repulsam,
Quæ eius nomine essent consecratæ,
Cui nihil vnquam, Deus ipse, negauit.
De te verò quid dicam?
Quæ dolentis Dei imaginem materno sinu complexa,
In Suburbanis Iaroslauiæ Campis,
Ingentem gratiarum messem aperis Virgo!
Certauit in te ornanda ac dotanda, Mater & Filia.
Quam olim Parens multo pretio redemptam,
(Summâ in terris Potestate annuente)
Conscriptis sub Duce IESV, Excubitoribus custodiendam tradidit;
Huic Filia, munificam Dotem, inscripsit.
Digna nimirum fuit Principe nostra Liberalitas,
Hospitantem in auito solo *Mundi* totius *Dominam*,
Munificentioribus sustentare impensis;
Et post sua Fata prouidere,
Ne tanta Maiestas,
Quæ inter Ciues suos censeri non est dedignata,
Adeò angustè apud se habitaret.
Ita Dolorosæ Matris dolores & angustias solata;
Cuius amorem, semper fouit in pectore,
Eandem moribundo ore MATREM sæpius inclamauit;
Vt vel inde agnosceres,
ANNAM ALOYSIAM CHODKIEWICIAM,
Ab ANNA Matre Tempori,
A MARIA Virgine, genitam Æternitati.

INSCRI-

# INSCRIPTIO XIX.

## Mors Sanctissimè obita

Tot FLORVM quos hîc legisti; Hospes,
MORS BEATA, Fructus est.
Vt enim nemo benè mori potest, qui male vixerit:
Ita qui benè vixit; optimæ Morti bene prælusit.
Fecunda multis virtutibus vita,
Bonæ Mortis Præludium est, ac quoddam veluti Procemium.
Hoc tamen vnum est, quod de te sine lacrymis cogitare non possumus,
Magna Princeps.
Infelices nobis illæ Iani Kalendæ, Anni 1654 quem se non finituram prædixit.
Quas tu, Felicitatis tuæ (ita enim Mortem appellabas) auspices salutasti.
Palam elocuta, Annum illum tibi fore extremum;
De luctibus nostris, (Anna planè Prophetissa, Vidua) prophetasti.
Meritò Mensis ille Aquario subiectus est; Aquarius Ianuarij signū.
Cui tot lacrymas vniuersa affudit Polonia.
Diceres, ipsosmet Cœlos fletibus nostris suppetias tulisse.
Aut DVCALI LVNÆ, Lunam cœlestem parentare voluisse.
Nec est cur Fatis succenseamus, quod te alieno in Solo extinxerint.
Vt omne Solum Forti Patria est:
Ita nulla Terra, aliena est mortuo.
Quotquot nascimur, *peregrinamur à Domino.*
Erras, quisquis vitam hanc, stabilem Possessionem existimas.
Nonnisi breue, ac nimis incommodum, Diuersorium est.
Vt desint alia, illud te Princeps nostra docuit.
In acerbo Fortunarum suarum Exilio, exulare desinens;
E vita, veluti è diuersorio ad Patriam, libens euolauit.
Nempe Æternitatem meritis, vndique Cœlum patet.
Æqualis vndique ad illud via; idem planè iter est.
Quantumlibet inuerecunda Mors existimetur,
Horruit tamen in Subditorum oculis Principem adoriri.
Vt in Orbe remotiori scelus suum vtcunque absconderet;
Pænè exulantem, peregrè assecuta, interemit.
An potius tanto Fato MAIOR POLONIA debebatur?
Quæ ingentibus ærumnis, & his maiori Patientiæ,
Capacem, per tot annos, in se locum dedit;
( Magnam enim Exulem, nisi MAIOR POLONIA non caperet. )
Eadem ingentis animæ, magnos Manes,
Ad maiorem Nominis sui amplitudinem, meruit adijcere.
Sed heu! tituli huius mensuram, excessit ingens fatum.
Agnoscite damna vestra diuersi, Tractus.
Mærenti Russiæ, accedat vtraque Polonia.
Ita Princeps nostra vixit apud omnes;
Vt sine omnium damno mori; sine luctu, efferri non posit.

At neque Suprema Fati illius dies suo caruit Sacramento. 27. Ianuarij S. Chrysostomo.
*Aureo* illa *Oratori* fuit consecrata.
Quo putas id factum esse mysterio?
Nempe, aut Princeps nostra,
Coram Supremo Tribunali Causam dictura,
Adeò disertum sibi adlegit Patronum:
Aut præscium luctus nostri Cœlum,
Aureum ad nos misit Oratorem;
Qui & tantæ iacturæ damnum emolliret;
Et nobis, ne Principem optimam Cœlo inuideremus, persuaderet.
Et verò, eloquentiâ Aureus, tolerantiâ Ferreus Antistes,
Aureæ Principi, non solum tolerabilem; sed etiam
De nomine suo *pretiosam Mortem* fecit.
Ille quoque olim in Exilio Patriam inuenit. S. Chrysostomus in Exilio mortuus.
Vt simile in Principe nostra fatum admiratus,
Non dissimilem, vitæ simillimæ, terminum, ei gratuleris.
Ita æternùm victura Princeps
Tanto migrationis suæ, seu præduce, seu comite,
Ad Æternitatem non tam abijt, quam euolauit.
Mortem ne suo quidem dignata metu;
Libero vultu communem necessitatem excipiens,
Superuenientem ac si vocasset admisit.
Non ita semel eam viderat, vt sibi tum esset timenda.
Duos supra decem dies, quotidie Pane Angelico refecta; Immediatè ante ipsum obitum.
In ipsam alimenti Sanctimoniam abijsse videbatur.
Diceres; aut Cœlestibus epulis in tempore assueuisse:
Aut, ne ad Mensam Æternitatis ieiuna omnino accederet,
Ita famescentem animam, Pane Diuino, saginasse.
Tandem ad Supremam luctam ritè inuncta,
Secundâ noctis Horâ ad æternam se quietem composuit:
Et consueto somni tempore, obdormiuit in Domino.
Annos quibus vixit inquiris? potius quibus victura est computa
Quam, Mortalitas LIV. annorum angustijs circumscripsit;
Huic vectigalis Immortalitas, *Annos Æternos* inscribit.
Si ad desiderium nostrum respicimus, parum;
Si ad res gestas, satis vixit:
Si ad memoriam operum quæ fecit,
Semper victura est.

# JNSCRIPTIO XX.

Heu! quam tempestiuè
Rerum Humanarum exitus, suis respondent initijs!
Deductus ex Illustri fonte riuus,
Tandem ad caput suum refunditur.
Illustrissimorum ROSSIÆ, DVCVM, Augustum genus, Herbestein in Moscho. ex Annal. Rossic Anno D. 840 Antilogiū Græcum in vita Wolodymiri.
E Maiori Polonia, per RORKO Rossiæ Ducem,
A WARAGIS ortum suum trahens;
Tandē per ANNAM ALOYSIAM CHODKIEVICIAM,
Illustrissimorum Ducum ac Principum in Ostrog,]
Neptem, Filiam, Sororem,
Maiori itidem Poloniæ, refunditur.
Ibi Princeps nostra, mortalis esse desijt.
Redijstis ad primum Principium, Magni Manes.
Augustum tot Ducum & Principum circulum,
In hoc demum ferale punctum reduxistis:
Hoc est, affinem Æternitatis Orbem,
Fine beatissimo conclusistis.
Erigite vos ad tantæ cladis rumorem,
Hæreditariæ Principis nostræ Fortunæ.
Nunc primum extrema vobis clades superuenit.
Stare hactenus, etiam tot inter rudera potuistis;
Nisi illa cecidisset, quæ ruinas vestras sciret efferre.
Fatalia sanè rudera! & infelices Ruinæ!
In quibus ne Tumulum quidem, Heres vestra, inuenit.
Quæsierit olim Hecuba, in suo Troiam cinere: Seneca in Troad.
Nostra hæc, Troiæ suæ cineri, adiecit suum,
*Cui ferus inscribat Viator;*
CVM POPVLO IACET HIC, ET IPSO Sarbieu. Lyr. lib. 2. Od 5.
CVM REGE, REGNVM.
Atque hîc demum Gentilitij EQVITIS tui Deus Terminus esto, Stemma Illustrissimæ, vulgò LVBART.
PRINCEPS ILLVSTRISSIMA.
Post Turcicos, Scythicos, Moschouiticos,
Patriæ inhiantes Dracones, toties calcatos,
Cùm se ipsum, nobilis planè Curtius, Liuius.
Non semel erumpentibus in Patriam flammis, deuouisset;
In hunc tandem Tumulum insilit:
Teque, post tot Meritorum & Honorum curricula,
Ad beatæ Aeternitatis Metam deuehit.
Reliquam Auitæ Nobilitatis supellectilem, ita dispono.

Vt nobis

Vt nobis ad Immortalitatem iter pateat,
Gentilitiæ SOLEÆ vestigia, in terris relinquantur. Dabrowa,
Iure ab omnibus adoranda, quæ TERNA CRVX dedicauit.
Fractus ANNVLVS, Pronubæ Immortalitati;
Bina SAGITTA, Diuini Amoris Pharetræ, cedat. Ogonczyk, Leliwa, & Zaslaw,
Vos quoque DVCALIA SIDERA,
Omnibus nobis lugentibus, supremum illuxistis.
A vobis Princeps nostra, & mores traxit, & ingenium.
A LVNA claritatem, non inconstantiam mutuata;
A SIDERE habuit, quod ipsamet Sidus esset.
Vtrumque non terris eam, sed Cœlis deberi ostendit.
Tandem è Cœlo petita; Cœlo debita Sidera,
Cœlis hodie, lugubres, reddimus.
Nunc demum LVNÆ huius Eclipsis est.
Nunquam aliàs deliquium passa; iam defecit.
Heu! breues Humanorum splendorum periodi!
Nulli, sine fatali lucis iactura, lucere permissum est.
ANNA ALOYSIA CHODKIEVICIA,
Suprema Illustrissimæ Domus suæ Hesperugo,
Occidens, Tempori, exoritur Æternitati.
Id est, Nouæ, quæ Noctem ignorat, DIEI,
ILLVSTRIS PHOPHORVS EST.



# HOSPES,

*Principis Funus iam peractum est: restat tuum.*
Abi, *& vide, ne ita alienam mortem defleas,*
*Vt non memineris tuæ.*
*Cuiuscunque ætatis fueris; Senex, aut Iuuenis,*
*Mortem contemne, quasi æternùm victurus;*
*Vitam compone, propediem moriturus.*
*Vt enim non est possibile Senem diu viuere,*
*Ita impossibile non est,*
*Iuuenem citò mori.*

A. M. D. G.